



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXXXV. Theodoricvs II. LIX. Arch. XIV. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

libertatis vocârunt. Id commendandum maximè in Electore Joanne, quòd inter publicas Imperii adversitates Romam sibi præfixerit constanter metam, ultra quam nec passum quidem tentandum esse fixum ratum habebat, amicus nimirum usque ad aram; unde cum Guido ex Cisterciensium Ordine Cardinalis imperante Innocentio III. Pont. partes Philippo Cæsari pertinaciùs adhærentes anathematis sententiâ terreret, continuo Joannes monitis acquievit, atque in Cisterciensium gratiam Romam profectus est, ut vectigalium, quæ in sacri belli subsidium postulabantur, onus averteret. Simile exemplum in Joanne expertus Otto, æstimavit pluris, quàm amavit promptam Electoris huius erga Pontificem obedientiam. Cæterùm quamvis Treviros, Confluentiam aliásque urbes suas plurimis impensis communiêrit, quin Dioccesin suam copiosis simulque pretiosis subsidiis recreaverit, facultates tamen finésque Ecclesiæ suæ adeò adauxit & extendit, ut pluribus seculis posterius Joannis nomen celebraverint. Inter communes igitur omnium laudes tumulo illatus est an. 1212. Sed. 22.

SECULUM XIII.

LXXXV. THEODORICVS II. LIX. ARCH.
XIV. ELECTOR.

Theodoricus II. origine Comes de Weida, ex Archidiacono Trevirensi & Præposito S. Paulini formatus Archipræsul, in Electoratus sui exordio jam dura passus pronuntiavit: *excelsa munera sunt gravia onera.* Anno nimirum ab electione sui altero ab Ottonis partibus captus, à Friderico Ottonis hoste liberatus est, libertate hac parùm recreatus, quòd multis vinculis obnoxiam sciret. An. 1215. Coloniam abiit, hanc ipsam urbem interdicto subjectam liberaturus. Colonia Romam profectus Lateranensi Concilio celeberrimo interfuit, in quo cùm pro Ecclesiæ

emo-

emolumento legitimè constituta, excitatque præsentium omnes forent ad suscipiendum bellum sacrum, Theodoricus inde redux doctrinam disciplinamque Ecclesiasticam suis Clericis, præsertim majoribus enixè simul & severè commendavit. Extructis dein monte Thaborino, ut vocant, adversus Nassovios, & domo Teutonica, Palæstinæ adeundæ desiderium concepit, quo Electorem suum præcucurrerunt de Trevirensium gente plurimi. Per Italiam itaque in Orientem translatus, dum suâ præsentia, consiliis & promissis à Friderico auxiliis quæque præstare laboravit, in vanum se laborasse comperit, Friderico in propositis & promissis parùm sibi constante. Huius tamen filios, primò nimirum Henricum postea rebellem, & demum Conradum Regiâ Imperii coronâ exornari suasit etiam Theodoricus. Aedibus sacris nunc extruendis, nunc exornandis, nunc consecrandis dum strenuam navavit operam, Marpurgi in Hassia D. Elisabethæ miraculis clarissimæ Principis ossa levavit & honoravit. Cæterùm ut lugubri suo seculo Ecclesiæ bono nunquam non prospectum foret, in Conventu Wormatiensi impetravit, ut Episcoporum privilegia de jure dicendo firmarentur, & Democratia libertas per civitates Germanicas identidem magis invalescens restringeretur. Demum an. 2238. in provinciali Concilio Clericorum mores emendare maximopere studuit, ubi vestitus decens ac modestus, & simul in domo & choro præsentia cunctis severè est imperata; aleæ verò aliique his non absimiles lusus prohibiti. Inter tot curas ac labores Theodoricus senio confectus, Henricum Osiliensem Episcopum sibi Suffraganeum delegit. Exemplum Theodorici Episcoporum dein plerique secuti, morem fecerunt ad illud usque tempus vix cognitum. Confluentia eximii nominis Elector mortuus an. 1242. Treviris est sepultus. Sed. an. 30.